

et magistratus. Sic enim fine 9. capititis exprimit:⁴⁶ *Partes vero civitatis pugnantium et consultantium.* Si itaque hae duae partes sint illa maxima civium superabundantia, an plus quam quinque millia sunt? Si sunt vel tot, eadem cadit obiectio ac forte maior longe in Aristotelem. Sed si haec maxima superabundantia minor numerus est quam quinque mille, cur id non determinavit is philosophus, qui Platонem audet incusare, quod pauca determinaverit? Cur item regionis magnitudinem non terminavit, quae posset ociosos itidem suos alere? Sed satis habuit dicere:⁴⁷ *Ut possint habitatores vivere ociosi^x, liberaliter simul et temperanter.*

Sed quod ait:⁴⁸ *Bene habet addere etiam ad vicinantes locos; non potuit recte in Platone reprehendi, id enim fecit libro 5.⁴⁹ Moles multitudine sane sufficiens non aliter recte fiat dictione, quam respectu ad regionem et vicinorum regioni civitates.*

Sed quod carpit eum in opum divisione omisisse⁵⁰ *ita ut vivant temperanter*, etiamsi non est expressum, intelligi tamen facile potest a non cavilloso philosopho. Cum enim Plato cives liberos esse velit, intelligi datur eos non debere a necessitate ad agricolandum cogi aut quippiam homine libero indignum exercendum.

Carpit deinde, quod aequalitatem opum fecerit, liberorum procreationem aequalem omiserit, cum ad hanc opibus maiorem sequatur etiam opum inaequalitas. Id quidem verum est, quando eam portionem, quae uni sibi tributa est, in multos filios dividat.

⁴⁶ μέρη δὲ τῆς πόλεως τό τε ὄπλιτικὸν καὶ βουλευτικόν. [ARIST. Pol. 1329a.37 – 38]

⁴⁷ ὥστε δύνασθαι τοὺς οἰκοῦντας ζῆν σχολάζοντας ἐλευθερίως ἄμα καὶ σωφρόνως, [ARIST. Pol. 1326b.30 – 32]

⁴⁸ καλῶς ἔχει προσθεῖναι [corr. ex προσεθῆναι] καὶ πρὸς τοὺς γειτνιῶντας [corr. ex γειτνειόντας] τόπους. [ARIST. Pol. 1265a.20 – 21]

⁴⁹ ὅγκος δὴ πλήθους ίκανὸς οὐκ ἄλλως ὁρθῶς γίγνοιτ' ἀν λεχθεὶς ἡ πρὸς τὴν γῆν καὶ πρὸς τὰς τῶν πλησιοχώρων πόλεις: [PLATO, Lg. 737.c.6 – d.1]

⁵⁰ ὥστε ζῆν σωφρόνως. [ARIST. Pol. 1265a.30]

^x Corr. ex ociosos